

LECTIO XXXI : Η ΓΕΝΝΑΙΟΤΗΤΑ ΔΕΝ ΒΓΑΙΝΕΙ ΠΑΝΤΑ ΣΕ ΚΑΛΟ

Bello Latino T. Manlius consul nobili genere natus exercitui Romanorum praefuit.

Is cum aliquando castris abiret, edixit ut omnes pugna abstinerent. Sed paulo post

filius eius castra hostium praeterequitavit et a duce hostium his verbis proelio

laccessitus est: «Congrediamur, ut singularis proelii eventu cernatur, quanto miles

Latinus Romano virtute antecellat». Tum adulescens, viribus suis confisus et

cupiditate pugnandi permotus, iniussu consulis in certamen ruit; et fortior hoste,

hasta eum transfixit et armis spoliavit. Statim hostes fuga salutem petiverunt. Sed

consul, cum in castra revertisset, adulescentem, cuius opera hostes fugati erant,

morte multavit.

LECTIO XXXII: ΕΝΑΣ ΠΑΝΗΓΥΡΙΚΟΣ ΤΗΣ ΛΟΓΟΤΕΧΝΙΑΣ

Pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas;
quae iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet. Quam multas
imagines fortissimorum virorum - non solum ad intuendum, verum etiam ad
imitandum - scriptores et Graeci et Latini nobis reliquerunt! Quas ego, cupidus
bene gerendi et administrandi rem publicam, semper mihi proponebam. Colendo
et cogitando homines excellentes animum et mentem meam conformabam. Sic
enim - laudem et honestatem solum expetendo, omnes cruciatus corporis et
omnia pericula mortis parvi esse ducendo - me pro salute vestra in tot ac tantas
dimicationes obicere potui.

LECTIO XXXIII: ΚΑΙΡΟΣ ΓΙΑ ΑΝΑΣΥΓΚΡΟΤΗΣΗ

Omnia sunt excitanda tibi uni, C. Caesar, quae iacere sentis perculsa atque prostrata impetu belli ipsius, quod necesse fuit: constituenda iudicia, revocanda fides, comprimendae libidines, propaganda suboles; omnia quae dilapsa iam diffluxerunt, severis legibus vincienda sunt. In tanto civili bello, in tanto ardore animorum et armorum, quassata res publica multa perdidit et ornamenta dignitatis et praesidia stabilitatis suae; multaque uterque dux fecit armatus, quae idem togatus fieri prohibuisset. Quare subveniendum reipublicae est et omnia nunc belli vulnera tibi sananda sunt, quibus praeter te mederi nemo potest.

LECTIO XXXIV: Ο ΣΚΙΠΙΩΝΑΣ Ο ΑΦΡΙΚΑΝΟΣ ΚΑΙ ΟΙ ΛΗΣΤΑΡΧΟΙ

Cum Africanus in Literno esset, complures praedonum duces forte salutatum ad eum venerunt. Tum Scipio, cum se ipsum captum venisse eos existimasset, praesidium domesticorum in tecto conlocavit. Quod ut praedones animadverterunt, abiectis armis ianuae appropinquaverunt et clara voce Scipioni nuntiaverunt (incredibile auditu!) virtutem eius admiratum se venisse. Haec postquam domestici Scipioni rettulerunt, is fores reserari eosque intromitti iussit. Praedones postes ianuae tamquam sanctum templum venerati sunt et cupide Scipionis dextram osculati sunt. Cum ante vestibulum dona posuissent, quae homines deis immortalibus consecrare solent, domum reverterunt.

LECTIO XXXV: Ο ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ ΜΠΡΟΣΤΑ ΣΤΑ ΔΕΙΝΑ ΤΗΣ ΕΞΟΡΙΑΣ

Unum fuisse Homero servum, tres Platoni, nullum Zenoni tradunt. Nemo vero eos miseretur, quod infelicitur vixerint. Menenius Agrippa, qui inter patres ac plebem publicae gratiae sequester fuit, aere collato funeratus est. Atilius Regulus, cum Poenos in Africa funderet, ad senatum scripsit mercenarium suum discessisse et ab eo desertum esse rus; id senatui publice curari placuit, quoniam Regulus aberat. Scipionis filiae ex aerario dotem acceperunt, quia nihil illis reliquerat pater. Aequum mehercule erat populum Romanum tributum Scipioni conferre, cum a Carthagine semper tributum ipse exigeret. O felices viros puellarum, quibus populus Romanus loco soceri fuit!

LECTIO XXXVI: ΜΙΑ ΑΠΟΠΕΙΡΑ ΔΩΡΟΔΟΚΙΑΣ

Manius Curius Dentatus maxima frugalitate utebatur, quo facilius divitias contemnere posset. Die quodam Samnitium legati ad eum venerunt. Ille se in scamno assidentem apud focum et ex ligneo catillo cenantem eis spectandum praebuit. Samnitium divitias contempsit et Samnites paupertatem eius mirati sunt. Nam cum ad eum magnum pondus auri publice missum attulissent, ut eo uteretur, vultum risu solvit et protinus dixit: “Supervacaneae, ne dicam ineptae, legationis ministri, narrate Samnitibus Manium Curium malle locupletibus imperare quam ipsum fieri locupletem; et mementote me nec acie vinci nec pecunia corrumpi posse”.

LECTIO XXXVII: Η κατάρρα των εμφυλίων πολέμων

In eum locum res deducta est, ut, nisi qui deus vel casus aliqui subvenerit, salvi esse nequeamus. Equidem, ut veni ad urbem, non destiti omnia et sentire et dicere et facere, quae ad concordiam pertinerent; sed tantus furor omnes invaserat, ut pugnare cuperent, etsi ego clamabam nihil esse bello civili miserius. Omnia sunt misera in bellis civilibus, sed nihil miserius quam ipsa victoria: ea victores ferociores impotentioresque reddit, ut, etiamsi natura tales non sint, necessitate esse cogantur. Bellorum enim civilium exitus tales sunt semper, ut non solum ea fiant, quae velit victor, sed etiam ut victor obsequatur iis, quorum auxilio victoria parta sit.

LECTIO XXXVIII: Η μοίρα της Καικιλίας

Caecilia, uxor Metelli, dum more prisco omen nuptiale petit filiae sororis, ipsa fecit omen. Nam in sacello quodam nocte cum sororis filia persedebat expectabatque dum aliqua vox congruens proposito audiretur. Tandem puella, longa mora standi fessa, rogavit materteram, ut sibi paulisper loco cederet. Tum Caecilia puellae dixit: “ego libenter tibi mea sede cedo”. Hoc dictum paulo post res ipsa confirmavit. Nam mortua est Caecilia, quam Metellus, dum vixit, multum amavit; postea is puellam in matrimonium duxit.

LECTIO XXXIX: ΕΝΑ ΠΡΟΤΥΠΟ ΙΔΑΝΙΚΟΥ ΑΝΘΡΩΠΟΥ

Sapientem nec paupertas nec dolor prohibet, nec eae res, quae imperitos avertunt et praecipites agunt. Tu illum premi putas malis? Utitur! Non ex ebore tantum Phidias sciebat facere simulacra; ex aere quoque faciebat. Si marmor illi obtulisses, si viliores materiam, fecisset tale, quale ex illa fieri optimum posset. Eodem modo sapiens virtutem, si licebit, in divitiis explicabit, si minus, in paupertate; si poterit, in patria, si minus, in exilio; si poterit, imperator, si minus, miles; si poterit, integer, si minus, debilis. Quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficiet.

LECTIO XL: ΑΚΛΟΝΗΤΗ ΑΠΟΦΑΣΙΣΤΙΚΟΤΗΤΑ ΜΠΡΟΣΤΑ ΣΤΙΣ ΑΠΕΙΛΕΣ ΤΟΥ ΔΙΚΤΑΤΟΡΑ

Sulla, occupata urbe, senatum armatus coegerat ut C. Marius quam celerrime hostis iudicaretur. Cuius voluntati nemo obviam ire audebat; solus Quintus Mucius Scaevola augur de hac re interrogatus sententiam dicere noluit. Quin etiam cum Sulla minitans ei instaret, dixit is Sullae: «Licet mihi ostendas agmina militum, quibus curiam circumsedisti; licet mortem miniteris, numquam tamen ego hostem iudicabo Marium. Etsi senex et corpore infirmo sum, semper tamen meminero urbem Romam et Italiam a Mario conservatam esse.

LECTIO XLI: ΜΙΛΑ ΓΙΑ ΝΑ ΣΕ ΚΑΤΑΛΑΒΑΙΝΟΥΝ, ΟΧΙ ΓΙΑ ΝΑ ΜΙΛΑΣ

Curius et Fabricius, antiquissimi viri, et his antiquiores Horatii plane ac dilucide cum suis locuti sunt; non Sicanorum aut Pelasgorum, qui primi coluisse Italiam dicuntur, sed aetatis suae verbis utebantur. Tu autem, proinde quasi cum matre Evandri nunc loquaris, sermone abhinc multis annis iam obsoleto uteris, quod neminem scire atque intellegere vis, quae dicas. Quin, homo inepte, taces, ut consequaris, quod vis? Sed antiquitatem tibi placere dicis, quod honesta et bona et modesta sit. Sic ergo vive, ut viri antiqui, sed sic loquere, ut viri aetatis nostrae; atque id quod a C. Caesare scriptum est, habe semper in memoria et in pectore: «tamquam scopulum, sic fugias verbum insolens atque inauditum».

LECTIO XLII: Ο ΚΙΚΕΡΩΝΑΣ ΚΑΙ Η ΣΥΝΩΜΟΣΙΑ ΤΟΥ ΚΑΤΙΛΙΝΑ

Nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quae imminet, non videant, aut ea, quae vident, dissimulent: qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerunt coniurationemque nascentem non credendo confirmaverunt; quorum auctoritatem secuti multi, non solum improbi verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie id factum esse dicerent. Nunc intellego, si iste in Manliana castra pervenerit, quo intendit, neminem tam stultum fore, qui non videat coniurationem esse factam, neminem tam improbum, qui non fateatur.

LECTIO XLIII: Η ΟΡΓΗ ΤΗΣ ΜΑΝΑΣ

Num ad hostem veni et captiva in castris tuis sum ? In hoc me longa vita et infelix senecta traxit, ut primum exsulem deinde hostem te viderem? Qui potuisti populari hanc terram, quae te genuit atque aluit ? Non tibi ingredienti fines patriae ira cecidit ? Quamvis infesto et minaci animo perveneras, cur, cum in conspectu Roma fuit, tibi non succurrit: «intra illa moenia domus ac penates mei sunt, mater coniunx liberique» ? Ergo ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur ; nisi filium haberem, libera in libera patria mortua essem. Ego nihil iam pati possum nec diu miserrima futura sum: at contra hos, si pergis, aut immatura mors aut longa servitus manet.

LECTIO XLIV: Η ΖΩΗ ΤΩΝ ΤΥΡΑΝΝΩΝ

Haec est tyrannorum vita, in qua nulla fides, nulla caritas, nulla fiducia benevolentiae stabilis esse potest: tyrannis omnia semper suspecta atque sollicita sunt; nullus locus amicitiae eis est. Nescio enim quis possit diligere eum, quem metuat, aut eum, a quo se metui putet. Coluntur tamen simulatione dumtaxat ad tempus. Quodsi forte, ut fit plerumque, ceciderunt, tum intellegitur, quam fuerint inopes amicorum. Hoc est quod Tarquinius dixisse ferunt exulantem: «Tum intellexi, quos fidos amicos habuissem, quos infidos, cum iam neutris gratiam referre poteram».

LECTIO XLV: ΜΙΑ ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΣΤΑ ΕΛΛΗΝΙΚΑ ΑΝΑΠΤΕΡΩΝΕΙ ΤΟ ΗΘΙΚΟ ΤΩΝ ΠΟΛΙΟΡΚΗΜΕΝΩΝ

Caesar ex captivis cognoscit quae apud Ciceronem gerantur quantoque in periculo res sit. Tum cuidam ex equitibus Gallis persuadet ut ad Ciceronem epistulam deferat. Curat et providet ne, intercepta epistula, nostra consilia ab hostibus cognoscantur. Quam ob rem epistulam conscriptam Graecis litteris mittit. Legatum monet ut, si adire non possit, epistulam ad amentum tragulae adliget et intra castra abiciat. In litteris scribit se cum legionibus celeriter adfore. Gallus, periculum veritus, constituit ut tragulam mitteret. Haec casu ad turrim adhaesit et tertio post die a quodam milite conspicitur et ad Ciceronem defertur. Ille epistulam perlegit militesque adhortatur ut salutem sperent.

LECTIO XLVI: ΤΟ ΓΕΝΙΚΟ ΣΥΜΦΕΡΟΝ ΜΠΑΙΝΕΙ ΠΡΙΝ ΑΠΟ ΤΟ ΑΤΟΜΙΚΟ

Philosophi mundum censent regi numine deorum; eum esse putant quasi communem urbem et civitatem hominum et deorum, et unum quemque nostrum eius mundi esse partem; ex quo illud natura consequitur, ut communem utilitatem nostrae anteponamus. Ut enim leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt, sic vir bonus et sapiens et legibus parens consulit utilitati omnium plus quam unius alicuius aut suae. Nec magis vituperandus est proditor patriae quam proditor communis utilitatis, aut communis salutis desertor propter suam utilitatem et salutem. Ex quo fit, ut laudandus is sit, qui pro re publica cadat, quod decet cariore nobis esse patriam quam nosmet ipsos.

LECTIO XLVII: Ο ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ ΚΑΙ Η ΦΙΛΑΡΕΣΚΕΙΑ ΤΗΣ ΚΟΡΗΣ ΤΟΥ ΙΟΥΛΙΑΣ

Iulia, Augusti filia, mature habere coeperat canos, quos legere secrete solebat.

Hac re audita Augustus voluit filiam deterrere quominus id faceret. Eo consilio

aliquando repente intervenit oppressitque ornatrices. Etsi super vestem earum

deprehendit canos, tamen Augustus dissimulavit eos vidisse et aliis sermonibus

tempus extraxit, donec induxit mentionem aetatis. Tum interrogavit filiam, utrum

post aliquot annos cana esse mallet an calva. Cum illa respondisset «ego, pater,

cana esse malo», mendacium illi pater obiecit: «Non dubito quin calva esse nolis.

Quid ergo non times ne istae te calvam faciant?»

LECTIO XLVIII: ΤΟ ΕΛΑΦΙ ΤΟΥ ΣΕΡΤΩΡΙΟΥ

Cerva alba eximiae pulchritudinis Sertorio a Lusitano quodam dono data erat.

Sertorius omnibus persuasit cervam, instinctam numine Dianae, conloqui secum

et docere, quae utilia factu essent. Si quid durius ei videbatur, quod imperandum

militibus esset, a cerva sese monitum esse praedicabat. Ea cerva quodam die fugit

et perisse credita est. Cum aliquis Sertorio nuntiavisset cervam inventam esse,

Sertorius eum iussit tacere; praeterea praecepit ut eam postero die repente in

eum locum emitteret, in quo ipse cum amicis futurus esset. Postridie eius diei

Sertorius, admissis amicis in cubiculum suum, dixit eis visum in somno sibi esse

cervam, quae perisset, ad se reverti. Cum cerva, emissa a servo, in cubiculum

Sertorii introrupisset, admiratio magna orta est.

LECTIO XLIX: Η ΠΟΡΚΙΑ ΚΑΙ Ο ΒΡΟΥΤΟΣ

Porcia, Bruti uxor, cum viri sui consilium de interficiendo Caesare cognovisset, cultellum tonsorium quasi unguium resecandorum causa poposcit eoque velut forte elapso se vulneravit. Clamore deinde ancillarum in cubiculum vocatus Brutus ad eam obiurgandam venit, quod tonsoris praeripuisset officium. Cui secreto Porcia «non est hoc» inquit «temerarium factum meum, sed certissimum indicium amoris mei erga te tale consilium molientem: experiri enim volui, quam aequo animo me ferro essem interemptura, si tibi consilium non ex sententia cessisset».

LECTIO L: Η ΦΤΩΧΕΙΑ ΚΑΙ Η ΑΠΛΗΣΤΙΑ ΕΙΝΑΙ ΚΑΚΟΙ ΣΥΜΒΟΥΛΟΙ ΤΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ

Cum Servius Sulpicius Galba et Aurelius Cotta consules in senatu contenderent uter adversus Viriathum in Hispaniam mitteretur, magna inter patres conscriptos dissensio erat, aliis pro Galba et aliis pro Cotta dicentibus; solus P. Scipio Aemilianus cum toto senatu dissensit: «Neutrum» inquit «mihi mitti placet, quia alter nihil habet, alteri nihil est satis». Nam Scipio Aemilianus aequè malam imperii magistràm iudicabat inopiam atque avaritiam. Qua sententia graviter et sine ulla malevolentia dicta Scipio obtinuit, ut neuter in provinciam mitteretur.